


05

A

2134





Q. B. V.
DISSERTATIO MORALIS,
De
CONSCIENCIA,

Quam

Sub Clypeo Altissimi,

PRÆSIDE

M. JOHANNNE BAPTISTA
RÖSCHELIO,

SEMPRONIO-HUNG.


FACULT. PHILOS. ADJUNCTO,

publico Eruditorum examini
sistit

GEORGIUS HEGYFALUSI, Hungarus,

In Acroaterio Majori,

Ad d. XX. April. Anno cIo Ioc XCII.



WITEMBERGAE,

Praelo VIDUAE MATTHAEI HENCKELII, Acad. Typogr.

CONSCIENTIA



05 A 2134





I. N. J.

§. I.

SToicos in plerisque cum nostro dogmate concordare, J. LIPSIUS in primis, & GERHARDUS JOH. VOSSIUS asserunt. Ac VOSSIUS quidem, ad id comprobandum, unum testimonium S. Hieronymi, tum illud potissimum adducit, quod praestantissimi Patrum, quos primitiva Ecclesia vidit, est varia & severa progressi fuerint porticu. LIPSIUS verò ipsa dogmata recensuit, in quibus consensus ille praecipue deprehenditur, in epistola Apologetica pro Libris, quos ipse omnium inconstantissimus, de *Constantia* scripserat elegantissimè. In hac, eò colore, fidem dictis adhibet, ut GEORGIUS HORNIUS, nihil amplius de asserti veritate dubitans, de fonte sit sollicitus, ex quo tanta concordia promanarit, ratus, eum se in Cittio Zenonis patria invenisse. Nam cum illud multos Phoenices incolas habuerit, ex horum monumentis & mysteriis, à vicinis Israëlitis haustis, primum illum Sectæ Stoicæ conditorem accepisse arbitratur omnia ea, quæ adeò cum divina veritate concordant. Verum enim verò nihil isthac opus est conjecturâ, tam longè petita. Si quidem consensus ille haudquaquam tantus est, ut aliunde derivari possit aut debeat, quàm ex accuratiori Philosophiæ Morum studio Stoicis perfamiliari. Luculentus planè hanc in rem locus exstat apud EPICLETUM, in En-

*In Lib. de Phil.
Sect. c. XIX §.
15. p. 104. Ed.
Hag.*

*Epist. XCVII.
Cent. I. p. III.
Ed. Plaut.*

*Hist. Philos. L.
III. cap. XVI.
p. 200.*

Cap. LXXV. p.

322. cum
Com. Simpl.
ex Edit. Salm.

chiridio, quod animam veluti Stoicæ Moralis Philosophiæ Lipsius dixit, ubi divinus hic Philosophus sequentibus suum alloquitur sequacem: *Nunc igitur Viri perfecti & proficientis vitam tibi sume, ac quicquid tibi visum fuerit optimum, ea Lex sit inviolabilis. Ac, si quid laboriosum, aut sære, aut gloriosum, aut ignominiosum ingruerit, memento, tum adesse discrimen, tum instare Olympia, nec licere differre, ac profectum una clade ac remissione perire, vel retineri. Ita Socrates in eum evasit qui fuit, cum in omnibus se ipse promoveret, eum nemini auscultaret, nisi rationi.*

§. II. Quibus verbis quid ab homine, Scriptura Sacra destituto, elegantius dici queat, non sanè apparet. Certè ita in iis philosophatur, ut nisi, ipsemet fontem, unde fluxerint, indicasset, Christianis ea sublegisse videri poterat. Ecquid enim Christianæ Fidei convenientius, quàm sui correctionem non esse procrastinandam in via virtutis non esse cessandum, multò minùs assuetudine Socordix regrediendum, sed assumptá Viri perfecti simul & proficientis vita, illud semper agendum, quod optimum esse videtur. Et tamen hæc omnia ex sola ratione, & accuratiori morum cultura, profluxisse sufficienter docent, adductum Socratis exemplum, & ipsa illa, ad assumendam vitam Viri perfecti & proficientis, facta adhortatio, ex notissima Stoici Sapientis divisione deprompta. Solebant enim Stoici Sapientem suum distingvere, & aliū primæ, alium secundæ notæ facere. Illum doctum, τέλειον sive consummatum, adeptum item, & sapientem vocabant, hunc studiosum, προκόπωντα, sive proficientem, nec non procedentem, affectatoremque sapientiæ. Illum nusquam gentium terrarumque occurrere, sed in scriptis solùm

solùm & libris in exemplum describi, proponiq̃ve conten-
debant, hunc dari quidem & esse admittebant, sed in di-
spari gradu. Nam SENECA alibi duo, alibi tria genera
proficientium facit, duo his verbis: *In ipsis sapientiam se-* Epist. LXXI.

*Etantibus magna discrimina esse, fateamur necesse est, alius
jam tantum profecit, ut contra fortunam audeat tollere
oculos, sed non pertinaciter, alius in tantum, ut possit
cum illa conferre vultum, si jam pervenit ad summum, et-
iam fiducia plenus est. Tria in sequentibus: Inter ipsos* Epist. LXXV.
*proficientes sunt magna discrimina. In tres classes, ut qui-
busdam placet, dividuntur. Primi sunt, qui sapientiam
nondum habent, sed jam in vicinia ejus constiterunt. Qui
sunt hi, quæris? Qui omnes jam affectus ac vitia posue-
runt: quæ erant complectenda, didicerunt. Sed illis ad-
huc inexperta fiducia est: jam ibi sunt, ubi non est retrola-
psus, sed hoc illis de se nondum liquet: jam contigit illis bo-
no suo frui, nondum confidere. Secundum genus est eo-
rum, qui & maxima animi mala & affectus deposuerunt,
sed ita, ut possint in eadem relabi. Tertium illud genus
extra multa & magna vitia est, sed non extra omnia.*

§. III. In horum tertiarum notæ sapientum numero, se
& lectorem suum, esse optat LIPSIUS Senecam imitatus,
in aurea sua ad Philosophiam Stoicam Manuductione, cum Lib. II. Diff.
ait: *Enim verò & primus ille ordo infreq̃uens, nec scio an IX. p. 86. Ed.*
Zenonas aut Cleanthas admittat: In reliquis aliquid spei Plantin.
*est. Et animi, ad perveniendum. Imò de Tertio cogite-
mus: benè nobiscum agetur, si in hunc admittimur nume-
rum. Magna felicitate natura, magnaq̃, & assidua inten-
tione studii secundus occupatur gradus: Sed nec hic quidem
contemnendus est color tertius. Ego Te & me voveam hic
esse; effugisse multa & magna vitia, & doctrinâ atq̃ exer-
citiò ad ulteriora niti. Perbellè sanè & rectissimè. Ta-*

lis etenim nunquam majus bonum minori posthabebit, sed perpetuò constantiqve Lege operabitur, quicquid *OPTIMUM* videtur, quod Epicteti vult Regula, quæ planè aurea est, & certissima brevissimaqve ad summum perfecti hominis gradum, via. Summa enim virtutis in hoc consistit, ut constanter prosequamur illud, quod rectæ Rationi visum est Optimum. Hoc quippè citra controversiam absolutè & simpliciter optimum est. Recta enim ratio non tantum ideò homini data est, ut per eam à bruto distingvatur, sed &, ut secundùm eam operans ad supremum suæ perfectionis gradum perveniat. Nam sicut quilibet artifex certam in animo regulam præconcepit, à qua in operando dirigitur, ne quid amplius aut minus faciat, quàm quod operis perfectio exigit: Ita Vir probus, quoties rectè agit, regulam intus in mente videt, ad cuius præscriptum debitas circumstantias adhibet, & quicquid virtutis idea vel species hic & nunc fieri exigit, operatur.

§. IV. Hæc regula recta ratio est; ab hac nunquam deflectit Vir probus, certissimus, cui semel placuit hujus dictamen spernere, & minus bonum præ majori amplecti, adeoqve id bonitatis, quo hoc bonum illud superat, insuper habere, ab ejus natura alienum non fore, etiam isti bono, cui adhuc adhæret, renunciare, sicqve in omnem pravitatem prolabi. Hinc cautè ac circumspectè omnia & singula illa expendit, quæ circumstantiæ dici solent, & in quibus completa virtutis harmonia continetur, easdemqve in omnibus suis actionibus observat. Quod enim fit, si fit, quando, ubi, à quo, & propter quid fieri debet, & eodem modo fit, quò decet, non potest non ipsam virtutis speciem & regulam recti exactè adæquare, ita ut nec abundet superfluis, nec minuatur deficientibus. Et quanquam minimè sequi sciat, eum, qui non omnes has circumstan-

stan-

stantias accuratissimè observaverit, vel parum ab eò quod rectum est deflexerit, continuo vitiosum esse, & omni virtutis laude privandum, cum parum hic reputetur pro nihilo, & ille solùm vitiosus soleat appellari, qui longiùs ab exquisito medio recedit: tamen hoc non obstante, id semper conatur & agit, ut quoad fieri potest, nunquam non exacto medio accedat. Bonum enim ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.

§. V. Verum enim verò, tametsi facilè sit ad hunc modum statuere, id optimum esse, quod Rectæ Rationi est consonum: tamen, quid ea sit, vel, quis modus sit hujus Rectæ Rationis, rectè definire, omnium videtur esse difficillimum. Certum namq̄ve est, rationem hominis, præsertim, si pro facultate ratiocinandi sumatur, non esse simpliciter rectam, cum possit esse non recta & depravari, ut contingit toties. Fit ergò recta per aliud: per quid? & quæ est illa regula, quâ utitur recta ratio? & unde illam habet? PICCOLOMINEUS à fine eam desumendam esse contendit, eò quod ab hoc omnes artes & habitus practici suam mensuram, suum ordinem, rectamq̄ve constitutionem recipiant, & effectus tunc sese rectè habeat, cum apprime suo congruit fini. Sed nondum exhaurit difficultatem hæc sententia, siquidem ulterius quæri possit: quis ille finis sit, & quid exigat? Hinc alii, cum S. Augustino & D. Thoma, mensuram illam charitatem statuunt, ut quæ sit maxima virtutum, & sic meritò reliquarum regula. A quibus non multùm distat PHILO Judæus, qui triplicem dixit esse regulam dirigendi actiones nostras, examinandiq̄ve res humanas, Amorem Dei, Virtutis & proximi. At nec ista satisfaciunt. Nam regula & mensura unius generis rerum una esse debet: tria verò hæc vel ab uno aliquò nectuntur, vel distincta sunt penitus. Si sunt distin-

Phil. Moral.
Gr. IV. c. 5. p.
275.

cta

cta, non poterunt ea esse omnium nostrarum actionum regula, sin verò ab uno aliquo nechtuntur, id demonstrandum est, & quod homogenea regula sit, ostendendum, charitas utiqve ea esse neqvit. Neqve enim hæc se ad virtutem extendit, aut virtutem habet pro objecto, sed est ipsa virtus, & sic ipsamet indiget regulâ & mensurâ.

Lib. II. c. X. f.
110. ex Edit.
Coch.

c. XV. fol. 174.

§. VI. Sed nec ARISTOTELES sibi sufficit, aut constat. Nam in *Magnis Moralibus* ad sensum quendam internum sese recipit, tum interroganti: quid, & ubi sit hæc Recta Ratio? regerit: *nisi apud temet ipsum habes hujusmodi rerum sensum, nihil efficitur.* Responsum est Medici, quærenti quonam modo febricitantis pallor deprehendatur. Sed Philosophus statim subinfert: *Similiter se res habet in passionibus dijudicandis: aliquid namque per sese sensu oportet conjicere.* In fine verò L. VII. *Eudem.* Ubi eadem proponitur quæstio, in hunc modum respondet: *Oportuit igitur juxta quod imperat, juxtaque habitudinem & actionem imperantis vitam instituere, velut servus juxta Domini, singulaque juxta convenientem suum principatum. Quandoquidem & homo ex imperante subditoque constituitur, ac unum quodque necessum habet ad principis sui mores accommodare. Et, paucis omisissis pergit: Quæ igitur electio possessioque naturâ bonorum, vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, considerare maximè Deum facit, præstantissima est, atque hic terminus est pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob excessum considerare colereque Deum permittit, minimè, ea est pessima. Atque sic quidem res habet anima, & hic terminus ejus præstantissimus est, minimum, inquam, alteram, irrationalemque anima partem sentire, quatenus talis est. Utrobique satis quidem argutè, & non ineptè ratiocinatur; sed tamen ita, ut dubium non penitus*

tus

tollat.

Neutrum quippè istorum tantum præstare potest. Non prius. Ita enim non in certa & distincta principia, juxta quæ judicandum sit, resolvitur R. R. sed in nudum & merum quendam entusiasmum, ut benè observavit HENRICUS MORUS. Non etiam posterius: quia, si hic præstantissimus animæ terminus est, minimùm alteram, irrationalemquæ animæ partem sentire, requiritur utique tertium, quod illud minimùm dijudicet, & vel ipsum Dei cultum dirigat ac moderetur.

§. VII. Nec rem conficit, quod jam antè dixerit illam rationem esse rectam, cui prudentia moderatur. Nam cum alibi prudentiam definiat per *Habitu cum recta ratione conjunctum*. Annon hoc erit circulum quempiam committere? Et cum omnis habitus, juxta ipsum, actibus producat, nonne denuò recurret quæstio: unde animus formatus sit, ut rectè judicaret, & veros prudentiæ actus ederet, quibus habitum acquireret? Adhæc, cum prudentia alia vera sit, alia falsa & sinistra, rectiùs astutia & versutia dicenda, quæ erit regula eas distingvendi? Num quid fortè cum HOBBSIO, Scholasticorum, ut molliter dicam, Nominalium gregali, imò plus quàm Nominali Philosopho, rectam rationem tantum in computatione, sive additione & subtractione Nominum generalium, quæ ad notationem s. significationem cogitationum nostrarum recipiuntur, aut brevius, in cognitione consequentiarum Nominum omnium, quæ ad scientiam pertinent, ponemus, & non nobiscum nasci, sed industriâ, aptâ in primis impositione Nominum, deinde Methodò rectâ, procedendò à Nominibus ad Propositiones, & à Propositionibus ad Syllogismos acquiri; prudentiam autem multâ experientiâ fieri. Sicquæ homines potestate tantum rationales natos, rationem usu sibi comparare statuemus? Aut si hæc Hobbesiana, quæ vel graculus

B

fari

In Enchir.
Eth. f. 16. oper.
T. 1.

Lib. V. Eudem.
c. 3. f. 150.

Lib. VI. c. 5.
Eth. Nicom.
f. 44.

Leviath. c. V.
pag. 20. & 23.
Part. III.
Oper.

Tract. Pol. c.
a. p. 271. f. Op.
Postb.

fari edoctus refutare queat, displicent, cū B de SPINOZA,
spinarum igne cremandarum pleno, omnia *necessitate fieri*
dicemus, & rationis esse asseremus, res non ut contingen-
tes, sed ut necessarias contemplari: hominum naturalem po-
tentiam, sive jus, non ratione, sed quocunq; appetitu, quò
ad agendum determinantur, quòq; se conservare conantur
definiendum esse, adeò ut quicquid homo suscipiat, s. ratio-
ne, s. sola cupiditate ductus, agat secundum Leges & regu-
las Naturæ, b. e. ex natura jure agere sit censendus, id quoq;
quod ratio malum esse dicitur, non esse malum respectu ordi-
nis & Legum Universe Naturæ; sed tantum respectu legum
nostræ solius naturæ, & quæ alia ibi sequuntur, quibus de-
mens Philosophaster, & Atheista absurdissimus, & scriptu-
ram Sacram, & sanam rationem impudentissimè vellicat,
aut evertere laborat, tam absurdè & impiè, ut adduxisse sit
refutasse? Quis enim non videt hòc modò hominem o-
mni privari liberò arbitriò, & in numerum rerum necessa-
riò agentium detrudi, ut qui fines suos, propter quos agit,
non magis cognoscat, quàm bruta aut inanimata? Absit,
absit longissimè hæc infania: est, & manet is agens liberri-
imum, & actiones suas semper propter certum suscipit fi-
nem, hosq;ve, nisi propriâ ejus culpâ aliud eveniat, certis-
simè cognoscit & dijudicat. Per consequens principium
quoque aliquod habeat, necesse est, quod eum dirigat &
eidem, quid ad fines illos, tum summum, tum subalternos
faciat, accuratè demonstret. Ubicunq;ve enim est virtus
aliqua activa, quæ non est ex natura sua determinata ad u-
num modum in agendo, sed quæ est in potentia ad utrum
libet, ita, ut possit rectè agere, possit etiam prævaricari,
ibi lex aliqua, vel regula adsit oportet, quæ eam in agendo
dirigat, ne temerè aberret.

§. VIII.

§. VIII. Hinc HENRICUS MORUS ut cum hoc principium indicet, tum Aristotelem à circulo liberet, nihil se mirari ait, quod nec Pythagorici, nec Platonici, nec ipse Aristoteles, multum sudaverint in definienda *recta Ratione*, cum universi intellexerint, eam demum esse *rectam rationem*, quæ ita *Viro purgato & prudenti* esse videretur. Supposuisse enim eos, mentem humanam, si passionum, omniumque corporis inquinamentorum præjudiciò ritè purgetur, æque naturaliter discernere, quid verum justumque sit, atque oculus, nullò morbò affectus, colores distingvit. Itaque rectè Aristotelem definivisse τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν κατὰ τὴν Φρόνησιν, modò Prudentia juxta Veterum illorum sententiam hòc modò describatur, quod sit *animæ virtus*, quâ *passionibus propriè dictis*, omnibusque omninò *impressionibus corporeis ita dominatur*, ut per illas non stet, quò minùs in *singulis deliberationibus mens rectè dispiciat*, feliciterque deprehendat, quod *absolutè & simpliciter optimum est*. Ex hac enim definitione ultrò intelligi arbitratur, quod, qui reverà PRUDENS est, *purgatò animò sit*, & *defecatò*, & *quod veritatis lumen per nullas passionis tenebras*, aliavè corporis impedimenta ipsi intercipiatur. Adeoque neminem mirari debere, quod illa Ratio *recta dicatur*, quæ est secundùm Prudentiam, cum aut prudens, aut nullus ea imbui possit, quatenus vitam spectat atque mores. Satis quidem aptè ac accommodè ad mentem Stagiritæ, qui ipse etiam ait: *Vir probus rectè judicat singula, & in singulis ipsi verum apparet*. Nam secundùm unumquemque habitum propria sunt bona & jucunda, multaque præstat fortasse *Vir probus*, Virtutem videndo in singulis, tanquam ipse existens norma ac mensura. Plebejis verò error videtur propter voluptatem contingere, utpotè, quæ cum non sit, apparet tamen illis bonum. At si prudens ex eo solo sapit,

B 2

vere-

Enchirid. Eth.
L. II. c. 2. §. 6.
f. 45.

verèqve prudens est, quod purgatò sit animò, & continuo rectum est, quicquid posthanc purgationem ipsi occurrit, ex eo solo, quod ipsi occurrat, ipsaqve recta ratio vel secundum rectam rationem id omne haberi debet, nonne rursus pro thesauro in carbones incidemus, id est, pro certa & determinata mensura ad lubricum & transitorium quendam raptum & enthusiasmum descendemus.

fol. 16. L. 1. c.

3. & fol. 61. L.

11. c. IX. S. 13.

S. 16.

L. III. c. VIII.

f. 86. S. 8. 9.

§. IX. Agnoscit id ultrò MORUS, & quia, hoc absurdum fore, ipsemet videt, hinc recipit se ad *Amorem suum Intellectualem*, quem nihil aliud esse vult, quam intimam quandam vitam ac sensibilitatem in Boniformi animæ facultate. Hunc sensum normam esse ait, atq; mensuram, ex qua ipsa ratio examinetur ac probetur. Si quid enim illa statuatur contra hunc sensum, illud iniquum esse & inhonestum, id demum licitum & decorum, quod huic sensui consonum & congruum: adeò ut nihil sit necesse, unam aliquam externam Ideam Boni somniare, aliosve somniantes imitari & sequi, cum intima hac vita atq; sensus sit pro illa idea, quæ non externò aliquò animæ obtutu suspicienda sit, sed intus in Boniformi facultate sentienda percipiendaq;. Ex hac oriri omnes Virtutum rectèq; factorum modos, in eamq; certissima analysi iterùm resolvi, &c. In parænesi deniqve ad humilitatem & temperantiam: postremò, inquit, de Divino illo Amore atqve Intellectuali superaddimus, quod omnibus nervis eniti debeamus ad eum adipiscendum, tanquam primam & perfectissimam omnium Virtutum mensuram atq; normam: in Scholio autem ad hæc ultima verba observat, se in Noëmatibus Moralibus hujus primæ maximeq; fundamentalis Legis omnis veræ Moralitatis mentionem omisisse, non quidem ex eo, quod nesciret, reverà primam esse maximeq; fundamentalem Legem, sed quod talis esset, quæ non nisi adeptis re-

geni-

genitisve innotesceret. Noemata vero Moralia istiusmodi esse, quæ omnibus hominibus, irrogenitis perinde ac rege-
nitis, nisi in meras pecudes degeneraverint, innotescere
possint. Quæ, quomodo à contradictione liberari que-
ant, non apparet. Etsi enim Viro huic acutissimo facile
largiamur, debere in nobis sensum quendam esse hujus re-
ctæ rationis, & bonitatis factorum nostrorum: Verum &
sincerum Dei amorem omnia alia bona præstantiâ longis-
simè superare, & summum hominis existere bonum, ad o-
mnem Virtutem eum excitans & instigans: tamen hæte-
nùs ex eo cognoscere non licuit, quomodo hic amor intel-
lectualis, *perceptio* dicatur, nec tamen pertineat ad intel-
lectum, *sed omni intellectu sit præstantior*; & quomodo
prima & fundamentalis lex omnis moralitatis audiat, nec
tamen nisi in adeptis & rege-
nitis reperiatur. Noemata
verò sint regulæ universalissimæ, & in omnibus homini-
bus deprehendantur, & nihilominus illa particulari nor-
mâ angustiores. Aut ergò alia danda erit moralitatis
norma, aut non rege-
niti moralitate, & sic etiam recta Ra-
tione excident, & homines non erunt. Nihil enim æ-
què homini incumbit, quàm ut vivat vitam humanam,
hoc est, naturæ suæ consentaneam. Unde tam apud Stoi-
cos, quàm apud Pythagoreos secundum naturam vivere,
naturæ convenienter vivere, Naturam sequi, Deo parere,
Deum sequi, Deo assimilari, idem prorsus sunt, ac secun-
dum rectam rationem vivere: illud verò fieri non potest
absq̄ve vera moralitate.

§. X. Propius proinde ad scopum collineasse vi-
detur J. FOURNENC, qui nodum hunc ita solvit, ut dicat,
distingvi oportere Notionem Rationis. Rationem enim
primò significare facultatem intellectualem; *deinde* actum
ejus præcipuè, quò rerum definitiones exprimuntur; *ter-*

§. 18. p. 62.

Cap. XII. §. 2.
p. 123. Tom. II.
Synopsis. U. Pb.

tio regulam, quâ intellectus dirigitur, ut rectè definiat,
 vel judicet. Hanc tertiam acceptionem militare cum in
 definitione artis, cum dicitur habitus *recta* cum *ratione* ef-
 fectivus, tum in definitione prudentiæ: *est habitus cum*
recta ratione activus eorum, quæ homini bona vel mala sunt,
Et quorum principium est in nobis. Hinc, postquam jam
 antea rectam rationem in moribus definivisset, *originalem*
formam rectè vivendi, mente conceptam, cum notitia o-
mniū conspirantium ad sui expressionem. Formam il-
 lam ita porrò demonstrat, ut dicat, primam & principa-
 lem regulam, à qua omnis Recta Ratio pendeat, esse Legem
 Æternam. Hanc enim esse essentialem rectitudinem,
 cujus participatione rectum fiat, quicquid rectum quo-
 modocunq; existit. Ab hac Æterna Lege proinde om-
 nem aliam veram & approbandam legem derivari; Ut
 quæ nobis per internam irradiationem naturaliter inno-
 tescat. Hujus Æternæ Legis participationem esse Legem
 Naturalem, quæ unicuique nostrum insit. Hanc Legem
 Naturalem ex parte intellectus esse immanentem, & se-
 cundum eam rationem naturaliter rectè judicare de iis,
 quæ facienda vitandaque sibi sunt, ut ad finem debitum
 tendat; ex parte voluntatis verò esse naturalem inclinatio-
 nem ad talem finem, & ad ejus media necessaria, saltem
 communia. Quod verò talis forma in intellectu sit, pa-
 tere ait, quia tria maximè distingvi possunt in Intellectu.
 Primò judicium Practicum Rationis, vel dictamen eo-
 rum, quæ facienda sunt; Secundò habitus inclinans ad
 judicium; Tertiò forma per modum exemplaris semper
 intellectui præsens, secundum quem omne rectum judici-
 um enunciatur.

§. XI. Hæc tria quisquis sanæ mentis est, in seipso
 facile advertit. Itaque nemo, quod sciam, ea in dubium

voeat, sed tota dissensio Naturam & originem regulæ seu formæ concernit, unde scilicet ea sit, quæ item, & qualis. Nam à natura, sed *naturata*, sive serie & ordine causarum secundarum eam derivat *Spinoza*: ab usu & experientia *Hobbesius*: ab Amore Dei, ab ipso Deo in anima excitato, *Morus*, ab inspirationibus, aut ad summum ab intellectus hominis ritè purgati perspicacia *Aristoteles*: ab irradiatione & participatione Legis Æternæ *Fournenc*, cujus Sententiam jam antea, quàm proximè ad veritatem accedere diximus, quæque nunc probanda restat. Probari autem evidenter & nullo labore potest, suppositò solùm, quòd alibi demonstratur, Deum dari, & hominem à Deo esse creatum. Hoc enim demonstratò, & ritè suppositò, suâ sponte sequitur, hominem propter omnimodam ab opifice sui dependentiam nasci eidem subjectum, id est, talem, qui, quemadmodùm se totum suo Creatori debet, ita obligatus est, se, suaque omnia, debita cum observantia, illius arbitrio submittere, ejusdemque summam præ se venerari excellentiam. Atqui, cum nulla obligatio aliunde, quàm à legis imperio derivari queat, manifestum utique evadit, tam naturalem esse creaturæ rationali Legem innatam, quàm illi naturale est, simul ac producitur, rationaliter à Deo dependere, ei que se totum debere. Ut vehementer errent, qui putant, posse Deum creaturam Sanctam creare, interim ex-legem, soliusque amoris vinculo sibi religatam: cum obligatio ad hunc amoris actum elicendum ne quidem concipi queat, citra Legis mandatum. Et quocunque in statu hominem fingere volueris, semper saltem est subjectum Legis à Deo ferendæ, si ita placuerit, capax; consequenter de facto semper obligatur, animum saltem habere paratum ad Legem divinam, casu, quò præscribitur, humili cum pietatis affectu excipiendam atque obser-

Exercit. Ra-
tion. Cor. IX.
f. p. 238.

p. 124.

Eth. Lib. II. c.
V. p. 795. sequ.
T. II. Op.

Lib. I. de L. S.
25.

observandam. Atqui dico iterum cum G. de VRIES :
Unde hæc ipsa obligatio, si creatura cogitetur, prorsus
EXLEX ?

§. XII. Jam hæc lex quid aliud esse poterit, quàm,
ut FOURNENC eam describit, *decretum, S. prædefinitio
æterna eorum, quæ facienda vitandaq; sunt creatura ratio-
nali, ut, Deum imitando, ad æternam beatitudinem perdu-
catur.* Primaria enim Legis notio est, ut sit regula quæ-
dam decreto principis constituta, præscribens modum ne-
cessarium ad salutem plurimorum. Ergò primo est actus
intellectus, definiens & decernens id, quod observandum
præcipitur. Deinde conjunctum habet actum volunta-
tis, quò Princeps vult id, quod præscribitur, observari: ni-
si enim id vellet, non obligaret, & sine obligatione non
esset lex. Tertio ordinat ad salutem plurimorum, seu, ad
bonum commune: alioquin non esset Lex, ut pulchrè de-
monstrat GASSENDUS. Quarto præscribit modum ne-
cessarium ad salutem consequendam: alioquin inefficax,
inutilis, & à suo fine deficiens futura. Atqui hæc omnia
optimè conveniunt æternæ Legi, juxta datam definitio-
nem. In ea enim *decretum* actum intellectus divini ex-
primit, *prædefinitio verò eorum, quæ facienda &c.* actum
voluntatis, creaturam rationalem obligantis ad executio-
nem talis decreti significat, ut ita ad summam beatitudi-
nem, quæ in fruitione Summi Boni consistit, adspiret. Mo-
dus denique ad illud perveniendi insinuat per imitatio-
nem Dei, qui modus virtutes omnes complectitur. Nam
virtus, Cicerone ex Platone definiente, est *in se perfecta
& ad summum perducta natura: Et hominis cum Deo
similitudo.*

§. XIII. Scilicet quemadmodum aliàs dum Princeps
præscribit jus aliquod Subditis, formam Juris, quam ide-
am

am recti possis dicere, habet in animo, à præscribente, & ab actu præscribendi distinctam, & ad quam se conformare debent subditi, si jus præscriptum adimplere velint: Sic etiam in Deo præter notionem mentis & actus decernendi debemus præconcipere regulam, quæ sit idea & exemplar absolutissimum universæ Virtutis hominibus injungendæ. Hanc formam, sive regulam videt Deus in essentia sua, quæ prima veritas est, in qua Principales omnium dirigendorum & formandorum regulæ ac formæ præhabentur. Estque ea ipsa rectitudo simpliciter, Sanctitasque essentialis, & simul ratio exemplaris omnis omnino honesti ac justii. Sed hæc manifesta sunt: difficultatem tantum creare videtur, modus cognoscendi, quò pacto nempe hæc Lex Æterna nobis innotescat. Respondet FOURNENC cum THOMA, per internam irradiationem. APOSTOLUS verò per inscriptionem in corda. Quod loqvendi genus etiam DION CHRYSOSTOMUS adhibet, & eleganter declarari potest per principia illa communia, & promptitudinem illa applicandi ad quosvis actus singulares, ferendique de iis iudicium, quoties occasio postulat, quæ in intellectu præter ejus naturale lumen deprehenduntur, etiam in pueris, & *natura surdis*, citra & ante omnem informationem, quæque in adultis conjunctim sumpta unò communi nomine *CONSCIENTIA* appellari consueverunt.

§. XIV. Etsi enim *Conscientia*, originem vocis si spectes, relationem dicit ad alium, & scientiam seu notitiã significat, quam quis cum alio communem habet, atque ita nemo propriè sibi ipsi conscius dici potest: tamen usus, rationibus haudquaquam destitutus, jam obtinuit, ut speciatim & propriissimè non nisi pro iudicio cujusvis hominis proprio, de sui ipsius factis, horumque qualitate, ac-

C

cipia-

I. Quest. 93.

a. 2.

περὶ 1985.

eipiatur. De qualitate, inquam, aut merito, id est, de eorum vel rectitudine ac bonitate, vel pravitate ac malitia, atque inde etiam de eorundem dignitate, ad laudem vel vituperationem, ad primum vel poenam relata, quam Meritum hic appellamus. Quod uti cum maxime post factum fit conspicuum, & longe rectius cognoscitur, quam ante factum, aut in ipso facto, ita hinc porro usu venit, ut frequentissime, & per quandam excellentiam, de iudicio de merito factorum nostrorum prateritorum adhibeatur. Nam ante factum, aut facti decretum, ac in ipso facto iudicium rationis non tam est liquidum, ac validum, affectibus nebulam menti objicientibus, & eam turbantibus, voluntatemque in suas partes trahere nitentibus. At ubi factum prateriit, affectuum violentia cedere, & paulatim defervescere solet: quo facto ratio tanto majorem vim habet, & animum ac voluntatem nostram penitus occupat, vel voluptate vel dolore afficit, ac spe bona implet, vel metu percellit. Id quod imprimis in malefactoris patet. Nam cum ad ea affectus aliquis voluntatem abriperit contra rationis dictamen, seu iudicium, seu contra conscientiam, postquam jam commissio delicti fatiata est cupiditas & affectus, hic quidem langvescit, aut etiam penitus cedit, ac ratio ante spreta vim suam tum recipit, & voluntatem, seu cor hominis, quod cupiditati paruerat, sententiam suam ferit, ac gravissime reprehendit. Unde acerrimus in animis, praesertim non corruptis, imo etiam corruptissimis, cum scelerum turpitudine nimis est manifesta, consequitur dolor aut cruciatus, & supplicii metus: quemadmodum est contrario spes & laetitia, cum summa & mira animi tranquillitate, est memoria recte factorum & post reportatam ab affectibus Victoriam.

§. XV. Ex

§. XV. Ex quo verò minimè sequitur, hanc acceptionem solam esse propriam; alteram verò, quando pro iudicio intellectus actionem antecedente sumitur, impropriam esse, quemadmodum celeberrimus RACHELIUS contendit. Licet enim hujus vis non sit tanta, aut potius non tam evidens & manifesta, atque prioris, ob rationem allatam: æquè tamen, ac illa Sententia, est de factorum nostrorum qualitate ac merito. Imò nisi hæc præcederet, illa non operaretur; nec nos vel lætitia, vel tristitia afficeret, nisi altera, instar præconis, quid conveniens & licitum, vel inconveniens & illicitum sit, explicaret, & regulas, quando, ubi, & quomodo sit agendum, præscriberet, nec hoc solùm, sed & insuper adhortaretur & impelleret. Hinc utraq; est actus Intellectus Practici, utraq; iisdem partibus constat, utraq; Syllogismò Practicò nititur, utraq; eòdem modò progreditur, nisi quod antecedens, actionem præcedat, ut hæc se ad Conscientiam habeat, tanquam effectus ad suam causam; consequens verò præteritorum sit, & non tam practica, quàm speculativa, nec agendorum regula, sed factorum memoria, in quantum scilicet homo de præteritis cogitat, & eorundem reminiscitur, & quid factum, quid omissum sit, considerat, & ideò aut dolet, aut lætatur, prout Conscientiæ antecedentis dictamen vel admisit, vel repudiavit. Quod si testimoniis auctorum gravissimorum rem conficere vellemus, in promptu, & ad manus forent, quæ huc magnò numero congeri possunt ex Origene, Chrysostomo, Hieronymo, imò ex Seneca, Cicerone, Aristotele, Hierocle & Dione Chrysostomo, qui omnes eandem agnoscunt. Solus certè intellectus practicus, præcisè & indefinitè spectatus, habens pro objecto *πρακτὸν*, seu omne operabile, sufficiens & determinata actionum nostrarum regula neutiquam est.

Exam. Probab.
c. IIX. p. 39. &
Tract. de Pr.
Act. M. Diss. 3.
 0. 3.

Sin verò definitè capiatur Synteresi instructus, tunc ipsum intrat conscientia; Cum ipsa Conscientia nihil aliud dicat, quàm applicationem *συντηρήσεως* ad hoc, hic & nunc operandum. Unde à THOMA definitur iudicium intellectus, quò quis applicat suam scientiam practicam ad actum particularem. Nimirum voluntas nostra instar iudicis est, aut rectiùs, instar hominis, qui, ipse consilii expertus, alios in consilium adhibet, ut tandem certi aliquid concludat, quod sit faciendum: partes disceptantes, seu senatores, quorum sententias exquirat, sunt Appetitus & Synteresis, ex quibus ille argumenta adhibet, ab utilitate, jucunditate ac honore petita; hæc verò ex insitis sibi legibus & ratione virtutis deprompta. Jam si fiat, ut utraqve pars conciliari possit, aut voluntas Synteresin audiat, recta sequitur actio; sin autem illam respuat, appetitui, & quod huic gratum, obsecundans, conscientia quoque mala evadit, & homo fit reus læsæ Majestatis Creatricis, aut violatæ legis innatæ, & à Creatore naturæ humanæ à prima ejus origine insculptæ, ideò ut eam in vita perpetuò comitetur.

§. XVI. *Συντήρησις* quippe à *συντηρέω*, i. e. 'conservo, custodio, dicta, est habitus ille practicus connatus, hominem inclinans ad præbendum assensum primis principiis practicis, in thesi spectatis; sive naturalis illa intellectûs humani perfectio, quâ is non tantùm conservat notitias generales, & reliquias primæ illius justitiæ, quæ à Deo insculpta fuit primi hominis menti; aut (si hanc notionem tanquàm è Sacra Scriptura petitam, hinc refugias,) Legis illius, quam Conditor suæ Creaturæ unà cum anima rationali dedit: sed & insuper pronus ac proclivis est ad præbendum assensum istis regulis, & principiis nobiscum natis, à quibus non aliter differt, quàm totum à suis partibus, ita ut

Syn-

Synteresis, sit instar totius, ad quod omnia principia practica pertinent. Unde & ipsa instigare hominem ad præbendum assensum dicitur, & à quibusdam etiam Conscientia vocatur, quanquam, accuratè loquendò, hæc inter se sint distincta. Nam aliud est Principium custoditum, & regula ad bonum instigans; aliud custos & principium, ad præbendum regulæ illi assensum, impellens; & aliud deniqve agitatio illa mentis, quâ homo sub tali principio rerum agendarum normativo aliquid subsumit, certamqve conclusionem elicit. Agitatio illa mentis, & applicatio principii ad hoc numerò proprium factum, sive totus ille Syllogismus practicus de re facienda, proprie est, & dicitur Conscientia, sicut Conclusio talis Syllogismi dictamen R. R. nec non iudicium Rationis, quid bonum vel malum sit, dictitans, audit. Quod usque adeò verum & evidens est, ut HOBBIUS, summus ille Legis Naturæ impuglator, ideò Jus Naturæ legem propriè dictam esse neget, quod ejus scita sint tantùm Conclusiones quædam ratione intellectæ: Perinde quasi ulla conclusio concipi aut intelligi queat absqve suis principiis præmissis? At si hoc est, uti reverà est, danda profecto erunt etiam istarum Conclusionum certa principia, & quidem non assuetudine, aut usu acquisita, sed à natura implantata. Secus enim non in omnibus reperientur hominibus.

§. XVII. Sed ut pressius diutiusqve Hobbesium urgeamus, & Legem innatam paulò uberius probemus, quærere lubet: quid sit, ob quod intellectus proprias nunquam cogitationes reprimat, & ut ita dicam, castiget, quod prætervolantes revocet, & sibi sistat, ac suis operationibus quodammodò invigilet? Unde illæ regulæ, quæ ratiocinium ipsum dirigunt, & ab eruditis non nisi magnò studiò eruuntur, præceptisqve comprehenduntur, ab in-

*Tract. de Pæn.
D. & H. p. 50.
Part. Pr. op.*

eruditus verò, id ipsum vix advertentibus, satis commodè adhibentur? Unde promptus & expeditus iste usus rei, quam sibi nulla informatione comparârunt? Unde denique illa pugna rationis adversus appetitum, & sensuum irritamenta? Cur reclamation animus etiam tunc, cum astutus & versutus, se optimè ratiocinatum esse, credit, sibiq; prudentissimè prospexisse arbitratur? A determinatione mentis infantilis in utero matris, à qua LAMB. VELTHUSIUS habitus connatos derivat, hæc talia deducere velle plusqvàm ridiculum foret: nec certè aliud restat, quàm Lex illa innata, quam ARISTOTELES alicubi eleganter *δίκαιον ἐμψυχον* vocat. Quæ quid agendum sit, monstrat & præcipit, ad bonum instigat, à malo retrahit.

§. XVI. Quæ tamen non ita accipienda veniunt, ac si Legis Naturæ notitia actualis menti à primo nativitatibus momento obversetur: cujus ea in omni suo statu, nominatim infantili, non semper est capax: sed intellectam volumus constantem quandam & habitualementem quasi animi dispositionem, quâ ipse suapte naturâ proclivis est, simul ac ei offertur idonea Legis hujus argumentum percipiendi occasio, & ad ruendum absque ulla hæsitacione, ac citra demonstrationem, in ejusdem assensum, & ad agnoscendum suam erga eam obligationem. Sicut & innatum Legis Naturalis sensum dicimus: non quasi omnium præceptorum ad eam pertinentium immediata persuasio in omnium ac singulorum hominum animis reperiatur; sed quatenus in unaquaque rationis compote creatura suâ luce radiant generalia saltem honesti atque turpis principia, unde menti si rectâ ratione hac parte uti voluerit, pronum existat, plurimas elicere per ratiocinationem legitimam conclusiones firmissimas. Sic quia innatum, omnibusque hominibus commune est, primò, ut, quod bonum, quod

com-

commodum, quod gratum fuerit, prosequantur; quod
verò malum, incommodum ingratumque, refugiant:
Secundo ut vitam producere, & membrorum ac sensuum
facultatūque omnium integritatem ac usum liberum
quisque velit: Tertio ut sociabiles sint, seu, ut in societate
degant. &c. Hinc ex primo ultrò, & sua sponte fluit, quod
Benefactores gratò sint affectu prosequendi, Parentes a-
mandi, superiores venerandi, Deus colendus; Malefacto-
res verò, & illi à quibus damnum & injuriam patimur re-
pellendi; Ex altero, quod quisque sese tueri, vitam suam
studiosè curare, nec ab ea ante discedere, quàm à Natura
ipsa fuerit avocatus, genus quoque suum propagatione per-
petuum facere teneatur; Ex tertio denique, quod cujusvis
sit societatem sanctè servare, communem utilitatem pro-
movere, nec, quod sibi fieri non vult, alteri facere, & quæ
sunt alia, quæ promptè sequuntur, dummodò sanam ratio-
nem rectè adhibeamus, & nobis à præjudiciis caveamus,
quæ hic sæpe plurimis imponunt. Videmus enim ple-
rumque hominum judicia ferri juxta id, quod ratio non
nuda, sed affectu quodam aut more præoccupata demon-
strat. Sic Empedocles, Pythagoricâ imbutus doctrinâ
existimat, legem naturæ esse, carnibus non vesci, neque a-
nimalia proinde interficere, cum assuetis tamen usui car-
nium lex esse naturæ contraria videatur. Sic generale est,
ut quisque leges patrias, quod illis innutritus sit, pro na-
turæ legibus ducat, ac illos barbaros habeat, quibus oppo-
sita sunt in usu. Quare ad dijudicandum, aliquæ Lex
Naturalis sit, an non, omnem exuere convenit præoccu-
pationem, ac plerumque recurrendum est non modò ad
id, quod omnibus hominibus placet, aut iis cum animalibus
est commune, ceu GASSENDUS monet; verùm
etiam

l. c. p. 800.

etiam, & potissimum quidem, ad Lumen Scripturæ, quæ sola adæqvata regula est omnium agendorum.

§. XVII. Cave autem, ex hoc inferas: Quid ergo opus est Conscientiâ? Duplex enim consiliorum, & actionum nostrarum omnium, ad mores pertinentium norma est: altera principalis, & semper recta, Lex Dei in Scriptura Sacra comprehensa; altera secundaria & ad illam dirigenda. Illa externa est, & à consiliis nostris remotior, hæc propinqua & interna, ac tum demum recta quando cum priori usque quaque convenit. Habetque se res perinde, atque si Magistratus publicè certam aliquam rerum mensuram, (veluti ulnam, aut decempedam, aut pondo proponat,) ad quam mensuræ omnes privatæ conformari debeant, quâ tamen mensurâ publicâ nemo quicquam earum rerum, quæ venduntur aut emuntur, metiatur; sed tantummodò mensurâ suâ privatâ ad eam conformatâ. Et rectè quidem, si mensura illa privata publicæ usque quaque sit conformis, malè verò si non sit. Nam & Deus, postquam homo Legem sibi insculptam depravavit, eam denuò omnibus publicè in verbo suo proposuit, tanquam consiliorum & actionum humanarum normam, quâ ipsâ verò nemo uti potest, nisi quatenus conscientia ejus, quæ instar normæ privatæ est, consilia & actiones proximè metientis, eam agnoscit. Quod si proinde hæc illi per omnia fuerit congrua, rectè quoque eadem in omnibus nostris actionibus utemur, Unde porro extendenda est vox Syntereseos & ad eam referri debent non tantum conclusiones generales de Jure, ex principiis naturalibus, per pronam consequentiam, deductæ; sed etiam omnes veritates practicæ, quibus per fidei revelationem certum præbemus assensum.

XVIII. Multo minùs verò ex eo colligere licet, totam

tam hanc doctrinam ad Theologiam Moralem esse referendam, & hanc in scholas introducta, Philosophiam Moralem proscribendam. Etsi enim, quaecumque ad veram beatitatem acquirendam, ut & ad curandam sui emendationem, ullò modò conducunt, non modò certius atque solidius à sacra Sacrarum Literarum, quàm à Rationis Nostræ Philosophia, nobis indicari lubentes fatemur, sed & absque illa planè nullò modò, nos quantumlibet ingeniosè diligenterq; per omnem vitam de illis meditati fuerim, ad veræ beatitudinis cognitionem, aut sufficientem acquisitionem, unquam perventuros esse haut illubentes largimur: attamen inde nequaquam sequitur, ideò naturalem de moribus emendandis, deque beatitate acquirenda cogitandi facultatem omnem inexcultam & inexercitatum relinqvendam esse. Neque enim Revelatio Divina ad hoc est unâ cum Naturali Rationis facultate concessa, ut, hanc otiosè relictâ, solam Revelationem debeamus expectare, cuncta nobis aliud agentibus ob oculos posituram; sed ut eam, quæ nobis omnibus divinitus est indita, Rationis viam pro virili excolentes, id, quod illius adminiculò consequi nequimus ad salutem necessarium, per ulteriorem Revelationis gratiam impetremus, ceu graviter & eleganter monet celeberrimus Gambriviensis Philosophus VINCENTIUS PLACCIUS.

§. XIX. E contrario non obscure hinc videre est, quid de illorum sit habendum sententia, qui Conscientiam ad Habitus Acquisitos referunt; & quousque ea admitti possit. Nempè in tantum, in quantum Conscientia pro Synteresi, quacumque patet, capitur, & principia insita magis magisque explicantur & diducuntur, alia & plura illis superadduntur, vel ex verbo Dei, vel ex scriptis Gentilium, qui in sententiis de honestate satis fuere operosi,

D

&

*Comment. de
Mor. Scient.
Aug. c. 1. n. 47.
p. 166. f.*

& non pœnitendos in iis progressus fecerunt, sicqve ex re-
 cta informatione & institutione relictae scintillulae augen-
 tur & adjuvantur, ipse quoque homo tum indies alia atq;
 alia leges ipsi innotescunt, secundum quas vitam moresqve
 componere debeat, non parum facilitatur, ad aliquid be-
 nè & conscientiosè operandum, ad quod antea minus fuit
 habilis. Rectissimè verò inde concluditur: Conscienti-
 am præsupponere scientiam, sicut conclusio præmissas,
 eum vero qui malè de re aliqua informatus est, vel infor-
 mari abnuit, non posse prætere Bonam Conscientiam.
 Perinde enim est ac si quis Conclusionem vellet pro certa
 habere spretis præmissis. Deinde Conscientiam non ca-
 dere in creaturas rationis expertes. Hæ quippè intellectu,
 ejus illa actus est, destituuntur, nec juris ac obligationis
 legalis sunt capaces. Et quanquam etiam bruta quædam
 virtutum & honestarum actionum vestigia & *συναγχαφίας*
 edant: tamen id, non nisi instinctu naturali faciunt, &
 absqve judicio rationis, quod soli homini ex animantibus
 competit; uti etiam solus Legis præcepta intelligere, au-
 ctoritatem Legislatoris agnoscere, suasque actiones ad hu-
 jus mandatum componere potest. Prætereà in proclivi
 quoque inde est judicare, quænam sit materia, circa quam
 Conscientia versetur, quæ item hujus partes & officia exi-
 stant. Ac objectum quidem generatim partim futurum
 est, partim præteritum, speciatim verò illud sunt Actus
 particulares proprii, tum boni, tum mali moraliter tales,
 modò malum & bonum etiam ad Theologicè tale, seu spi-
 rituale extendatur. Quod etiam monet acutissimus
 & subtilissimus Theologus & Philosophus D. D. JOH.
 ADAM OSIANDER, cujus verbis hic usi sumus. Con-
 scientia enim universim considerata regenitos pariter ac
 irregenitos respicit, in quantum ii circa agenda vel acta
 pro-

System. Coll.
Theol. Part. V.
LXIV. Th. 31.
 & scqq.

propria versantur, & hunc numero actum proprium, secundum omnes circumstantias, ad principium & regulam, quam in mente habent, examinantes, de ejus decernunt bonitate vel malitia, quisquis ille fuerit, sive factum, sive dictum, sive cogitatum, quæ omnia in individuo aut bona sunt, aut mala, moraliter.

§. XX. Partes & operationes, seu officia Conscientiæ quod attinet: Eorum quatuor ex hætenus dictis manifestò deprehenduntur. Primò enim dicitur, id est, pronunciat, quid justum vel injustum sit. Deinde testatur de factis, vel omissis, idque certò, & sine omni dubitatione aut fluctuatione, propter infallibilem suam notitiam, quæ nos penitus convincit. Tertiò judicat, & sententiam decisivam, benè an malè res facta fuerit, pronunciat. Quartò denique vel excusat & absolvit, vel accusat & damnat. Cum enim mens post peractum opus speculativè judicat; benè aut malè patratum esse, tunc dicitur testificari de opere benè aut malè patrato, & pro diversitate peracti, vel laudare & consolari, vel accusare & reprehendere. Primum ad Antecedentem, reliqua ad Consequentem pertinent. Respectu primi officii ab HORNEJO Præco salutatur & Concionator Legum Divinarum & Humanarum, suggerens homini, quid utriqve illarum vel consentaneum sit, vel dissentaneum, & quid in universum fieri vel non fieri in tota vita debeat. A Scholasticis judicium proximè practicum, à Græcis verò in quantum simul media, per quæ honestè agamus, quærit & investigat, *Φρόνησις* appellatur. Respectu reliquarum operationum, tum actoris tum libri, tum testis, tum judicis, tum tribunalis, tum denique executoris sententiæ, & in malis quoque carnificis nomen & elogium suscipit. Apud Scholasticos judicium speculativum, vel speculativè practicum, familiarissimè audit; Græ-

*Phil. Mor. L. 3.
c. 4. p. 318.*

eis propriè *συνείδησις* dicitur, à *συνείδω*, conscius sum. Cæ-
 terùm illud dictare rectè est intelligendum. Nam non
 tantùm dicit, i. e. discernit, dicit & pronunciat Conscien-
 tia, quid justum vel injustum, Necessarium vel liberum,
 licitum vel illicitum, adeoq̄ve vel agendum, vel omitten-
 dum sit; verum etiam actiones ipsas dirigit, & ratione cir-
 cumstantiarum ordinat. Deinde svadet & dissvadet, horta-
 tur & dehortatur, & tùm ad bonum instigat, tùm à malo
 retrahit, ad extremum etiam obligat. Si enim mens pra-
 cticè judicat, opus aliquod faciendum esse, q̄via honestum,
 pium aut præceptum, tunc instigare & obligare volunta-
 tem censetur, ut illud aggrediatur atq̄ve perficiat. Illud
 vi & virtute habitus connati, hoc vi & virtute legis. Nam
 obligatio, juxta definitionem Illustris PUFENDORFII,
 est *qualitas moralis operativa, quâ quis prestare aut pati*
quid tenetur. Afficit enim ea voluntatem, & peculiari
 quasi sensu eandem intrinsecè imbuit, ut in suas actiones
 ipsa censuram exercere cogatur, ac malò se ipsam dignam
 judicare, nî præscriptæ sese normæ reddiderit conformem.
 Jcti Romani vocârunt *vinculum Juris, quò necessitate ad-*
stringimur alicujus rei præstandæ. Injicitur enim per ean-
 dem velut frænum aliquod morale nostræ agendi libertati,
 ut in diversam, quàm quò illa ducit, partem tendere rectè
 non possimus. Etsi per eam voluntas hautquidquam ita
 obstringi queat, ut saltem de facto in diversa abire non de-
 tur. Cum & Synteresis ipsa, quantum ad actum, impedi-
 ri ad tempus possit, ut ut non planè extingvi vel amitti. Per
 consequens etiam obligatio Conscientiæ, quæ, ut BARO-
 NIUS rectè demonstrat, nullâ libertate gaudet, non aliter
 convenit, quàm in virtute Legis, seu, propter Legem &
 præceptum, quod in Syllogismo practico Majoris semper
 locū obtinet. Rectè BALDUINUS: *Legis est propriè obligare:*
Con-

L.I. de J. Nat.
 G. c. IV. S. 5.
 p. 82.

Part. i. Gen.
 Met. Sect. 12.
 Disp. 1. de Lib.
 Arb.
 C. G. L. 1. c. 5.

*Conscientia autem est præco legis. Sicut igitur Præco Judi-
cis obligat eum, cui insinuat judicis mandatum, non virtu-
te sui, sed potiùs virtute mandati judicis: Ita & Conscien-
tia, virtute Legis, cujus est præco, cum mandatum vel pro-
hibitionem insinuat homini, obligare dicitur.*

§. XXI. Jam cum Lex vel Divina sit vel Humana, utraqve quidem hic in censum venit; sed primariò Divina, tum quæ per naturam inscripta est nostris cordibus, tum quæ ex peculiari revelatione constat. Hæc quippe sola propriè speciatim ac directè ita conscientiam obligat, ut immediatè, & ratione sui, hominem ad obediendum obstringat, sub culpa Morali, adeoqve sub metu violati Numinis Divini, & pœnæ subsecuturæ. Solus enim Deus merum & directum imperium in Conscientias hominum habet, ut extra eum nemo potestatem legem imponendi Conscientiæ cujusquam hominis, cui, ceu per se obligatoriæ, is se subicere debeat, arrogare sibi possit. Ipse enim solus est, qui ob infinitam perfectissimæ suæ naturæ eminentiam, quâ dignus existit tantâ veneratione atqve existimatione, quanta in animum finitum cadere potest, jus habet plenissimum *suis Creaturis* præscribendi mandata in quorum exacta observantia agnoscat reipsâ, ut infinitæ perfectionis Numen, ac Dominus earundem supremus. Cujus supereminens in ente summè perfecto potestatis suæqve infra eam, ut ita loquar, subsidentia conscientia, quoniam nullam Creaturam rationalem latere potest; liquet, hanc sese illius imperio subducere nunquam posse, citra evidentem rationalis suæ Naturæ quandam quasi abnegationem: adeoqve rationalem creaturam, quâ talem, eò ipsò, quod talis est, obligari ad officiorum à Deo, Rege suo, sibi præscriptorum præstationem: eâqve necessitate, quâ se ipsam intelligit rationalem, et-

iam non posse non agnoscere omnimodam suam, hanc quoque in parte, à primæ rationis Imperio dependentiam. Quousque autem in condenda Naturæ Lege hanc suam potestate usus fuerit, vel uti saltem potuerit, Conditor Optimus Maximus, alterius fori est disquirere. Divinæ Majestati illorum in primis Sententiâ congruere sentit G. de VRIES, qui quidem Legis Naturæ magnam partem esse Juris Divini Naturalis concedunt; sed & benè multa in eadem occurrere opinantur, quæ sint juris Divini prorsus arbitrarii ac purè positivi, quorumque non tam facilis est, ex natura vel Dei, vel nostri demonstratio, quàm quidem eorundem existit efficax per immediatum quendam sensum in nobis persuasio. Non enim hoc locò id naturale dici, quod ex natura nostra necessariò fluit, sed potiùs id omne, quod naturam nostram humanam in hoc naturæ statu, in quo versamur, indivisim comitatur. Non posse autem Deum cum natura nostra connectere notitiam quarundam rerum, quarum demonstrativa certitudo ex contemplatione nostri, vel sui, erui nequeat, nondum à quopiam sufficienter esse demonstratum. At sufficere pro adversa parte videtur, quod hoc pacto discrimen J. N. & Posit. tollatur. Quo de aliàs. Illud hic addendum Leges istas vel communes esse, vel speciales. Illæ omnes & singulos obligant in familia & Societate humana viventes; hæ non omnes omninò, sed in specialiori aliqua Societate degentes. Ita ad officia paterna non est obligatus, nisi qui Pater sit, ad maritalia non est obligatus, nisi qui maritus sit. Et sic deinceps. Ex æquo interim omnes proximè justitiam singularem respiciunt, & id agunt, ut unicuique suum tribuatur, & unusquisque ut suo jure frui vult, ita ipse quoque quemque alium suò frui concedat, & patiatur. Itaque nemo, qui singularem illam justitiam aut non tuetur, aut solò metu judicis non violat, excusationem obtendere potest,

b. c. p. 3. 40.

test, quod jus alteri competens ignoret: quum enim adeo facile nôrit, quid juris sibi competat, reputare debet, quicquid ad se non spectat, id esse alienum. Quod quia pauci observant, hinc in locum justitiæ illius, quæ in uno quoque singularis esse debebat, succedit, & veluti subsidiaria venit, publica illa & communis, quæ à Principibus atque Magistratibus administratur, & quasi tutrix est, atque vindex juris cujusque singularis.

§. XXII. Quare porrò in censum hic etiam veniunt Leges Humanæ cum Ecclesiasticæ, tum Civiles. Quarum illæ, nil aliud sunt, quam necessariae & utiles quædam determinationes, de circumstantiis mandatorum primæ tabulæ, & ideò propriè loquendo definiuntur, per decreta de externo ordine & decoro in administratione verbi & sacramentorum, in conventibus & congregationibus, &c. observando. Qualia decreta juxta generalem verbi divini normam facta, utique & observatu sunt necessaria, & nos in conscientia obligant, non quidem specialiter, absolutè, directè & propriè, sed generaliter, hypotheticè, indirectè & impropriè. Prius ex eo patet, quod leges conscientias directè & propriè sub pœna mortalis peccati obligantes, condere solius Dei sit, qui unus hoc privilegio gaudet, quod solus sit Conscientiarum Dominus, solus Legifer noster, sicuti solus perdere potest & servare; judicia vero humana hominumque auctoritas longè inferiora sint Conscientiâ, cujus directione Leges constituuntur, & judicia exercentur, quamque Deus in unoquoque hominum tanquam suum tribunal erexit, & loco sui posuit. Posterius patet. Quia omnia statuta Ecclesiastica, si verbo Dei sunt conformia & disciplinæ Ecclesiasticæ inserviunt, fundantur in generalioribus præceptis Apostolicis, adeoque in ipso verbo Dei, quod omnia sine scandalo decenter, ordine & ad Ecclesiæ ædificationem fieri postulat. Quod si itaque
Ca-

Canones illi temerè ac obstinato quasi animo negligantur, tum certè generalia ista Dei præcepta violantur, & per consequens propria vulneratur conscientia. Accedit quod talis contemptor Magistratui, qui eas sancivit, debitam denegat obedientiam, sicque eidem præfractè resistat, quod sane est Deum offendere, & Conscientiam suam sauciare. Atque idem etiam de Legibus Civilibus est habendum. Dummodo eæ justæ sint, piæ item, & à Magistratu legitimo latæ, iis denique præditæ conditionibus, quæ ad plenum valorem & efficaciam Legis requiruntur. Talem enim legem qui transgreditur, is legem naturæ, in qua omnis Lex humana justa fundatur, indignè violat, & ordinationi Divinæ petulanter ac protervè refragatur. Obligabit ergò ea utiq; Conscientiam, sed impropriè, indirectè & mediatè, neq; enim ea ulterius se extendit, quam ad externum hominem, hoc est, ad corpus & bona fortunæ, ad dicta quoque & facta ejusdem externa. Quod ipsum ut & alia huic similia pluribus urget, & adfert quoque B. MEISNERUS, quem vide. Secus autem se res habet, si Lex fundatur in præsumptione facti, quod factum revera ita se non habeat, tunc enim ea Lex non obligat. Quia deficiente veritate facti, deficit totum fundamentum. Vid GROTIUM & ZIEGLERUM in eum.

*De Leg. L. IV.
Sec. 1. Quæst.
1. p. 108.*

*Lib. II. c. XI.
§. 6,*

*In Jerem. IV.
2.*

§. XXIII. Pari modo etiam obligat juramentum, secundum essentielles juramenti condiciones ab HIERONYMO expositas, præstitutum, sive illud contestatorium, sive execratorium, sive promissorium, sive comminatorium fuerit: sive absolutum sive hypotheticum, sive voluntarium sive à superioribus impositum, modo utile, necessarium & licitum sit; Idque vi definitionis, quæ describitur *attestatio Numinis ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam, quæ Deus in vindicem advocatur, ut puniendo testetur, si fefellerimus,*

mus,

mus, aut promissionum vincula ruperimus. Neque hinc excipitur juramentum primo infidelis, quia talis Lege Naturæ convincitur, se ad servandum promissum jurejurando confirmatum, obligari. Nec forma juramenti, sed animus & intentio jurantis est attendenda. Non etiam secundo illud, cujus observatio cum detrimento privato, & impedimento conjuncta, quia reverentia Divino Numini debita, anteponenda est omni damno privato. Non tertio vi & terrore extortum à latrone, tum quia pecuniam promissam, tum quia silentium speciale, quia omne juramentum licitum, in reverentiam Divini Nominis est servandum, & præstatio talis juramenti nil publico Reipubl. bono detrahit, sed præstans solum privatum damnum patitur, quod ferendum potius, quam vita linquenda. Non quarto ficto animo præstitum: quia alioquin nulla juramentorum esset certitudo & innumeris perjuriis daretur occasio, deinde Nomen Dei non est assumendum in vanum, semper ergò obligatur conscientia, quando aliquis exterius jurat sive intus ita sentiat, sive minus. Æquivocum quoque quisque studio præstat, graviter peccat; si fortuitò, obligatur ad id, quod jurans intendit, non quod alter intelligit. Illud ex prioribus liquet, hoc ex eo, quod juramentum sit signum ac testimonium sensus proprii non alieni. De votis, aliàs commodior dicendi occasio dabitur, nunc de Promissione simplici adhuc addimus, Eam si de re possibili & licita fiat, & is, qui promittit, rationis usu polleat, & ex deliberato mentis judicio agat, nec alterius potestati ratione rei promissæ sit subjectus, eadem ratione in Conscientia obligare. Id quod etiam tum obtinet, quando vel error circa qualitatem rei acciderit, vel dolus sive à promissario sive aliunde ab alio aliquo tertio factus intercesserit, vel denique promissio ex metu,
E **sive**

*Lib. de Jur.
Pr. Obl. Cas.
60. p. 226.
Lib. III. c. IV.
p. 312. sq.*

*Tract. Tb.
Pol. p. 271.*

sive levi, sive graviore promissario etiam injustè illato facta fuerit. Alioquin enim nec veritati locus relinqueretur inter homines, nec fides perstaret in contractibus, nec justitiæ ratio haberetur amplius; Quæ omnes volunt non esse dolosè agendum, non simulandum, non mentientum, quod tamen faciunt, qui non servant quod promiserunt, præsertim non deficiente materia promissa. Nam si hæc cesset, cessat etiam quodammodo promissio, aut promissionis obligatio, sublata enim radice obligationis tollitur una pullulans inde obligatio, ut SANDERSONUS loquitur. Hinc variæ à variis adferuntur Obligationis Divisiones, à celeberrimo PUFENDORFIO explicatæ. In omnibus autem analogia attributionis intrinsecæ militat, & unum membrum ab altero dependet. Ita quod Obligatio Adventitia stringat, id congenitæ debet, quæ & naturalis est, & indispensabilis penitus, & æque atque ipsa Conscientia Universalis.

§. XXIV. Quod vero Conscientia Universalis sit, & in omnibus hominibus reperiatur, id alia probatione non indiget, quam quod omnes rationales sint, & judicio rationis gaudeant, eodemque sani & mentis compotes semper utantur. Ut insaniisse sit necesse SPINOZAM, cum concludebat: *in potestate uniuscujusque hominis non esse ratione semper uti, & in summo humanae libertatis fastigio esse: Item, jus & institutum Naturæ sub quo omnes nascuntur homines & maxima parte vivunt, nihil, nisi quod nemo cupit, & quod nemo potest prohibere, non contentiones, non odia, non iram.* Talia certè non nisi à profligatissimo & perditissimo homine proficisci poterant, & ab eo, qui omnem sensum humanitatis deposuit. Etsi enim Lex ista inscripta eradicari aut deleri funditus non possit, potest tamen ea vitiis & sordibus obtegi & obscurari, quemadmodum

dum haud raro sculptura in aeneis tabulis situ & squalore obducitur. Unde præclare Philosophus *pervertit* *6. Nic. 12.* *Et depravat iudicium rationis vitiositas, efficitque ut de principiis actionum falsè iudicemus.* Non igitur eiusmodi hominum iudicia morari debemus, sed ad illa attendere, quæ bene educati, & omnino Vir aliquis bonus de his sentiant & iudicent. In primis vero id summo curandum studio, ne quid committamus, quo sensibilitatem hanc animi vel lædamus vel obtundamus, sed ut delicatissimum hocce ac divinissimum principium tanquam pupillam oculi quam diligentissimè tegamus & defendamus. Ita enim & ipsum nobis ubiq; & semper facem præferet, actionesque nostras sedulo diriget. Modo nos ipsimet dictamen ejus ut par est benevolè & liberaliter admittamus, semperque sequamur, nec quicquam contra illud committamus. Conscientia enim semper sequenda nec quicquam contra illam faciendum. *Quicquid enim fit contra Conscientiam, edificat ad gehennam.* Id quippe à norma sua naturali atque ab ipso DEO mentibus nostris insita discedit. At quod à Norma sua discedit, rectum non est. Confirmatur id verbis Pauli: *Quicquid non est ex fide, peccatum est.* At quicquid est contra Conscientiam, non est ex fide, imò contra fidem. Potest tamen id etiam sequenti modo probari: Istud est factorum nostrorum perpetua norma, quod quando sequimur, probi, quando non sequimur improbi censemur. At talis est Conscientia nostra. Nam eatenus probi censemur, quatenus Virtutem à nobis cognitam amamus, contra vitium aut turpe, prout à nobis cognitum, odimus. Atqui utrumque horum facimus eatenus, quatenus conscientiam vel sequimur, vel non sequimur. Nam quatenus eam sequimur, eatenus Virtutem cognitam amamus, & colimus, quatenus vero non sequimur, eam averfamur

& vitium amamus & sic probi aut improbi censemur, Per
consequens Conscientia norma est à qua absque peccato re-
cedere non possis. Si enim nemo potest amare honestum,
aut contra odisse vitium, nisi quatenus Conscientia aliquid
honestum aut inhonestum, virtuosum aut vitiosum dicet,
semper dictamen ejus erit sequendum, nisi dicas, interdum
licere honestum ac Virtutem non amare, vitium ac inho-
nestum non odisse.

§. XXV. Danda vero etiam opera ut eadem recta
sit & suæ Normæ per omnia congrua & cavendum sedulo,
ne per nostram negligentiam errorem de rebus faciendis
concipiamus. Nam aliàs peccatum evitari non potest si-
ve sequaris conscientiam, sive non sequaris, quæ hominis
conditio est miserrima. Nam si sequaris, rem admittes
per se malam & DEI voluntati ac præceptis adversam, idque
tua culpa, siquidem errorem evitare potuisses, si eâ, quam
adhibere debuisses, usus fuisses diligentia. Si non sequa-
ris, itidem à Norma factorum nostrorum ab ipso DEO con-
stituta discedis, & haud scio, an gravius etiam pecces, cum
hinc animi, illinc facti illius pravitas certet ac malitia, at
ex animo magis, quam ex ipsa factorum natura, per se con-
siderata, illa à DEO virisque cordatis aestimari solet. Qua-
propter non inutiliter ejusdem quæritur DIRECTIO, ne
falsum pro vero judicet: sicut & alias bonis præmissis stu-
demus ad formandam justam conclusionem. Hinc in Au-
lis PRINCIPUM Consiliarii Conscientiæ. Hinc passim
tot Scriptores Casuum Conscientiæ, qui non malè à J. C.
In Prac. Mor. BECMANNO themata Moralia conjuncta dicuntur, & de-
scribuntur, quod sint Quæstiones Juris factis specialibus
applicandæ, ab Interpretibus puta Divini Humaniqve Ju-
ris. Non quasi ab horum placitis aliorum Conscientia
pendere debeat, sed quod hi, in Libro scripturæ & Naturæ
exer-

exercitatiores, rectius connexionem rerum, quæ veluti mensura & speculum Conscientiæ est, perspiciant, eamque aliis ob oculos ponere possint, ut & ipsi illam assequi valeant, & sic ex rectè perspectis rectè quoque judicare suamque obligationem agnoscere queant. Nam agnitio hæc sua sponte sequitur simul ac præmissæ plenè perfecteque fuerint cognitæ.

§. XXVI. Hinc etiam Conscientia non est in potestate nostra, æque ac Conclusio non est in potestate ratiocinantis sed positæ præmissis necessariò sequitur, sed intellectus prout res apprehendit, sic de iis judicat. Quare porro nemo eidem dominari, aut eam vi & extrinsecus cogere potest, & si conscientia alicujus dictet, omnino quidpiam esse faciendum non est ab eo exigendum, ut quamdiu ita sentit, illud non faciat, sed curandum est, ne ita sentiat; siquidem hypothese ista posita actio omnino sequi debet. Quare non consequentia, ut ita dicam, aut Conclusio, sed hypothesis tollenda & evertenda est. Itaque etiam discrimen Firmæ & Infirmæ Conscientiæ ex Scientiæ robore pendet. Firma quippe justum robur scientiæ habet, Infirma eo caret, eoque non satis intelligit quid sit licitum. Quousque vero infirmis Conscientiis consulendum sit, docet in compendio citatus modo D. D. BECMANNUS ostendens fieri id debere in difficilioribus, non passim obviis, nec citra veritatem, nec etiam in Infinitum. Quæ plenius prosequi non vacat, cum liber sit in omnium manibus. Tandem Bonitas quoque Conscientiæ hinc repeti debet. Bona enim dicitur & habetur quando consilia & facta nostra approbat. Unde vel simpliciter bona, vel secundum quid. Simpliciter bona est quando ita consilia & facta nostra approbat, ut ea rectè approbet, nec in re ipsa fallatur, secundum quid Bona vero quando illa tantum approbat, rectè

*In Recoll. L.
1. de Consc.
Epist. 97.*

nean secus parum sollicita, aut minimum cum errore ac ignorantia conjuncta. Quæ acceptio in primis in communi usu locum habet & quoties, quando sententia nostra, de re aliqua pronuntiata, ab aliis tanquam Veritati non consona, reprehenditur, dicere solemus, nos ex Bona Conscientia, vel pro B. C. judicasse. Illa honestè bona hæc pacate bona interdum dicitur. Haut raro tamen Conscientia pacatè bona est, quæ vitiosè mala existit, & contra honestè bona, quæ moleste mala. De quarum distinctione & Natura conferatur AMESIUS. Discrimen alioquin etiam inter Malum & Bonam C. dat fiducia. *Bona* inquit *SENECA prodire vult & conspici, ipsas nequitia tenebras timet.* Nisi ortè jam aut obstupefacta, aut cauteriata penitus sit Conscientia Mala, Tales enim ut plurimum depudere & ob peccandi consuetudinem, vel planè non, vel ægerrimè suam agnoscunt obligationem aut sensum habent peccati. Stupefacta, sane, Conscienti non facit suum officium nisi in gravissimis malis; Cauteriata vero non movetur, ne in flagitiis quidem atrocissimis. Illa tarditas quædam judicandi est, hæc judicandi vim planè tollit. Unde ἀπολίθωσις, & Cor lapideum, dicitur, maximæ pœnæ locò habendum, utpote signum extinctæ in nobis Syntereseos, quæ non intercidit, nisi divinâ curâ indigni reputemur. Dicitur ita à cauterio, quò carcinomata & venenata ulcera aduruntur, & crusta quædam cutis locò vulneri inducitur, quæ sensu caret; cui non dissimilis est talis Conscientia, dum & ipsa stupet, & sensu sui mali non afficitur, eo ipso felix, sed felicitate falsa & putativa. Verè enim felix est sola honestè & pacatè bona, rerumque rectè gestarum memor.

§. XXVII. Circa species Conscientiæ constituendas non conveniunt Auctores. Scholastici enim quinque illarum

rum

rum recensent, & aliam *Rectam*, aliam *Erroneam*, aliam *Probabilem*, aliam *Dubiam* aliam *Scrupulosam* faciunt. Contra alii, auctore JOH. CRELLIO, *Erroneam* non *Conscientiam*, sed *coignorantiam* potius dicendam putant; alii *dubiam* & *scrupulosam* *impropriè* *Conscientias* dici contendunt. Acutissimus Philosophus G. G. LEIBNÜTZ totam illam divisionem ex commixtione duarum aliarum divisionum factam fuisse statuit. Nam *Conscientiam* ratione *Veritatis* in *Rectam* & *Erroneam*, ratione *Firmitatis* in apprehendendo in *Certam*, *Probabilem* & *Dubiam*, cum qua *scrupulosa* coincidat, dividi quæ duæ vero divisiones in unam ibidem confutantur. Habent nihilominus & illi, quæ pro sua adferant sententia. Esto enim, quod *Conscientia* ratione *essentiæ* suæ, & vi *vocis*, *certum*, *firmum* & *rectum* dicat *judicium*: tamen ratione *existentiæ*, & vi *usus* *communis*, non determinatè *rectitudinem* & *veritatem* *judicii* de *factis* nostris dicit, sed *plenam* tantum *consiliorum* & *cogitationum* nostrarum *approbationem*, sive *persuasionem*, *inductionem* quæve *animi*, qualiscunque ea sit. Jam dicunt: *Intellectus* noster, circa *agibilia* occupatus, aut *intelligit*, quid *agendum* sit, aut non *intelligit*. Si hoc, *Conscientia* dicitur *Dubia*, quia, ubi non *intelligimus*, cui *parti* assentiri debeamus, *dubitamus*, *dubitanter* *judicamus*, nihil *determinantes*, nihil *statuentes*. Sin autem illud, *statuitis*, vel *sine scrupulo*, vel *remanente* & *restante scrupulo*. si hoc *scrupulosa* dicitur: Si verò illud, vel *firmiter* *statuit*, vel *infirmius*. Si *firmiter*, vel *rectè* atque *verè*, & existit *C. Recta*; vel *falso* & *non rectè*, & est *C. Erronea*: Si *infirmius* autem sed *probabiliter*, *Probabilis* evadit *Conscientia*.

§. XXVIII. *Recta* itaque *Conscientia* est *judicium* *Intellectus* *Practici*, legi tam *Divinæ* quam *Humanæ* *conforme*, *rectè* & *firmiter* *statuens*, vel *dictitans*, quid vel fa-

cien-

Etb. Cbr. L.

*II. c. I. quæ
bab. Tom. IV.*

op.

Art. Comb.

P. III. p. 49.

ciendum sit, vel omittendum. Ab hujus dictamine, sive aliquid facere jubeat, sive prohibeat, non licet vel latum discedere unquam. Obligat enim simpliciter, adeò, ut voluntas n̄i eidem dicto audiens fuerit, peccet gravissimè. Modus nihilominus alius est, quò nos ad Affirmativa J. N. præcepta obstringit, alius quo ad Negativa. In præceptis negativis, qualia sunt: neminem lædere: non furari &c. semper & ad semper internus ille Judex nos obligat. Nullò enim unquam tempore, nullàque casu fieri potest, ut his R. R. dictatis contra venire liceat. Sic nullò privilegiò, & nullius ne præpotentis quidem Numinis dispensatione à ligamine præceptorum Negantium solvi potes, ut aliquando, & in certo casu, homicidium, adulterium, furtum committere salvâ Conscientiâ, possis. Materiam interim peccantem furti, homicidii Deus subtrahere potest. Sic quando Israëlitæ in mercedem exantlati laboris aurea & argentea Ægyptiorum vasa surriperunt, non commiserunt furtum. Neque enim hæc jam aliena, sed ex DEI judicio, quo universorum est *μονὸς*, Israëlitarum erant. Sic cum legitimus Magistratus, 1. auctoritate publica, 2. servatò juris processu, 3. ob capitale crimen, 4. amore Justitiæ, maleficum capite diminuit, vel infelici ligno suspendit, materia homicidii, quæ est homo indebitus, immutatur. Hinc tantùm abest, ut, maleficos capitaliter puniendò Magistratus peccet contra Conscientiam ut potius non puniendò sæpe crimen incurrat. In Præceptis autem Affirmantibus C. R. semper, sed non ad semper, h. e. non ad omnia tempora, omnesve casus obligat. Fieri enim potest, ut ad minimum in casu necessitatis ab eorum ligamine in Conscientia tua solutus sis. v. g. dictamen R. R. est: *suum cuiq; tribuere*; idque semper obligat, sed non ad semper, cum varii intervenire casus possint, in quibus, ad suum cui-

cuique tribuendum per Conscientiam non tenearis, putà, si Dominus sit furiosus vel helluo, si bonæ fidei possessor non constet, si moralis sit restituendi impossibilitas, & si qui sunt alii modi, de quibus NAVARRUS pulchrè tradit. Ad eundem modum R. R. docet, Magistratui esse obediendum; sed quia Affirmativum id est, ad omnia tempora, & sine exceptione Conscientiam non obstringit. Nam inhonesta, & natura sua turpia, jubenti ne quidem metu mortis est obsequendum.

In Man. S.
Mor.

§. XXIX. Conscientiæ R. directè opponitur *Erronea*, quæ definitur, quod sit iudicium Intellectûs, firmiter statuens, aliquid faciendum, aut omittendum, quod faciendum aut omittendum non erat. Nomen suum ab *Errore* accepit, non quocunqve, sed eo, quò aliter à nobis agi debere firmiter persuasi sumus, quàm vel Jus Divinum, vel Humanum postulat. Errat autem ea aliquando circa ea, quæ per se bona aut mala sunt, v. g. si cui conscientia dictet, viatores omnes esse occidendos, aut nullo egeno eleemosynas, vel stipem esse dandam; aliquando circa adiaphora, ut, cum Anapabista firmiter statuit, non esse jurandum. Error verò vel vincibilis est, vel invincibilis. Si error est vincibilis, & de re per se mala, tunc peccat, tàm qui secundum C. E. agit, quàm qui contra illam agit. Ille quidem, quia partim à Veritate legis exorbitat, & rem illicitam perpetrat, partim quia errorè, cum possit & debeat deponere, non deponit: quod idem est ac cœcò & temerariò animi ausu errare velle. Hic verò, quia is, quantum in se est, paratus est agere contra legem, & contra ea, quæ sibi (licet falsò) persuadet, esse in lege Dei & Humana fundata, adeoque contra ipsam DEI voluntatem. Dicas: hoc pactò inferri necessitatem peccandi. Pone quod e. g. quispiam sit ex gentilibus, quorum barbarus error fuit, in fornicatione

cultum divinum esse situm; huic Conscientia dicet, esse fornicandum, ut suus DEO, cultus constet: quicquid egerit, peccato se obstringet. Fornicatur? peccat contra L. N. ex qua elicita lex est: *non Mœchaberis*. Non vult fornicari? contra Conscientiam, quæ fornicari jubet, delinquit. Resp. hanc peccandi necessitatem in sua causa contingentem, & hypotheticam esse, quia ex ipsius hominis culpa & ignorantia vincibili sive affectata, & ex errore, quem mittere omninò homo poterat, originem trahit. Sicut verò ille, qui ex contracto peccandi habitu jam necessariò peccat, propterea tamen culpâ non vacat; ita necessitas peccandi, ex præsupposito errore vincibili oriunda, nec in civili nec in DEi foro, peccantem ob similem causam excusat. De errore autem invincibili, quem deponere non possumus, mitiùs fortè pronuntiandum. Nam Uxori bonæ e. g. hoc omnino persuasum esse debet, ut maritum suum verum, conjugali amore semper prosequatur, nec prætereà alium eò amoris genere. Amare ea autem eum non potest, nisi eundem cognoscat. Ponamus, nunc aliquem esse, qui Uxori alieno persuadeat penitus, se illius verum esse maritum, quemadmodum in Galliis superiori seculò contigisse legimus, ita, ut ea nihil dubitet, quin is sit verus suus maritus, cum tamen reverà non sit: facere non potest Uxor, salvâ istâ regulâ, de Marito, ut decet amando, quineum hominẽ eò pacto amet, quamdiu ita ipsi est persuasum. Committet proinde quidem ea, quod suâ natura turpe est: sed id effugere non potest, errore illò decepta & ratio delicti, non tam in eo posita erit, quod eum, quem pro vero marito habet, conjugali amore prosequatur, quam quod eam diligentiam quam in Cognoscendo marito adhibere debebat, & in re tanti momenti magnam esse oportebat, fortè non adhibuerit. Nam si eâ adhibitâ, tamen errorem suum

cognoscere non potuit, ipsa extra culpam est, & delictum ei non imputatur, præsertim, si, agnitò errore, vehementer doleat. Quod si error fuerit vincibilis, & circa rem per se indifferentem, planè non peccat, qui juxta eam Conscientiam agit, quia error iste voluntarius non est, nec moraliter evitandus: peccat verò, quisquis contra illam agit, quia deflectit à regula sua, & norma, rerum agendarum quam Deus ipsi dedit. Quod si porrò quæras: Utrum gravius peccet is, cujus Conscientia errore laborat, si contra DEI præcepta conscientia ductum sequatur; an verò contra, si DEI præceptum contra conscientia dictamen? Respondendum esse videtur, siquidem ex animo nostra facta potissimum æstimentur, & gravius illud delictum sit, quod improbiore animò committitur, levius illud quod sinceriore saltem generatim loquendò, gravius peccari, si contra Conscientiam peccetur, quam si contra præscriptum DEI non cognitum. Fit vero res ex prioribus clarior. Nam cum quis contra C. agit, si is alioqui DEUM agnovit, tùm contra id agit, quod Deo gratum acceptumque esse arbitratur, adeoque sibi persuasum habet, se id facere, quod DEO vehementer displiceat. At qui id facit, is apertè suum erga Deum odium prodit. Quomodo enim magis quispiam odisse Deum potest, quàm si id sciens & prudens fecerit, quod persuasissimum habet, esse Deo ingratum, ei que valde displicere. At contra non potest dici, eum odisse Deum, nisi fortè per accidens, qui contra præceptum ejus non cognitum peccat, ut ut id faciat, quod alioqui Deo vehementer displicet.

§. XXX. Tertium locum sibi vendicat C. *Probabilis* quæ & Opinativa appellatur, quod opinionibus regatur, sicut, Probabilis dici solet, quod non firmiter, sed saltem probabiliter judicet, cur unum potius sit faciendum, quàm

Prax. Apod.
C.III.S.VIII.
p. 60.

alterum. Definitur à S. STRYMESIO iudicium quod absque certitudine dicitur Bonitatem aut malitiam actionis, cum tali tamen fundamento, quod Viro prudenti sufficiens esse potest, ad confirmandum se, absque ulteriore examine. Sita proinde in eo est, quod rationes, quæ pro utraque oppositi parte in promptu sunt convenientiam maiorem extremorum in una parte ostendant quam in altera; & is, cuius C. P. est, ita uni parti assensum præbeat, ut, alteram quoque veram posse existere, existimet. Unde hactenus in eo cum C. R. convenit, quod utraque rectè iudicet: differt verò ab eadem, ratione principiorum, è quibus hoc iudicium deducit, formatque Intellectus: Quæ hic tantum probabilia existunt, intellectum quidem ad assentiendum alteri parti inducentia, sed cum formidine oppositi. Sunt verò vel intrinseca, & ex rei natura deprompta, opinionem gignentia: vel extrinseca ab auctoritate & decretis unius, vel plurium Virorum, prudentiæ & rerum usu clarorum petita. In his, facilius est lapsus, quam in illis. Utrobiusque tamen magnam prudentiam opus est, quam insigniter adjuvare & promovere poterunt cautelæ ab Excell. D. RACHELIO suppeditatæ; Prima est: *Quandocumque per demonstrationem certus esse poterò de faciendis & fugiendis, tali veritati opinionem Probabilem, in primis inscientia illa dissentientem, sine peccato mihi proferre non licet. Quandocumque apodictica ratio non suppetit, probabilem rationem sequi oportet, sed maxime tutam* III. *Opinio Probabilis falsa, in praxi usurpata, à peccato neminem penitus absolvit. IV. Fides Divina semper præferenda est humana, imò omnibus rationibus & argumentis, etiam apodicticis. V. Fides humana, unius aut plurium Doctorum testimonio nitens, solidæ demonstrationi postponenda est. VI. Fides Humana Intellectum Practicum, aut hominem, in agendo nunquam*

Exam. Pro
bab. c. IX. p.
53. 54.

quam securum prestare potest, nisi Legi alicui, Deo vel probata, vel non improbata, consentiat, vel saltem Legi alicui, aut voluntati Divinae, non repugnet. Quas cum Nobilissimus Auctor ipsemet plenius explicet, nos tantum exemplum pro ratione nostri instituti addemus. Esto Medicus, is si nulla probabili ratione, nec per experientiam sciat, medicamentum fore salubre, salvâ Conscientiâ illud adhibere nequit, licet in se salubre sit: nam indubio pars tutior h. e. à peccandi periculo remotior, eligenda est. Fit hoc, cum ægrotus, his rebus in manu sui Conditoris relinquitur. Quod si in promptu fuerit aliquod remedium, de quo adhuc est probabilitas quod ægroto sit profuturum, probabilem sententiam sequi, & pharmaca nondum probata seponere is tenetur. Ratio est, quod probabilis hæc opinio cum periculo peccandi non sit conjuncta. Quando nullum medicamentum est, de quo vel probabiliter aliis constet, salutarem ejus fore usum, cœtera quoque pharmaca æquè sint dubia, Medicus, ubi in ægroto vitæ periculum animadvertit, sine peccato pharmacum, quod solus ipsi profuturum probabiliter existimat, applicare poterit, ejusque vim eâ occasione experiri, licet alii pro veneno habeant. Neque enim fas est, ut infirmum Medicus deserat, dum aliquid præsto est, de cujus salubri usu probabiliter Medico constat. Denique, si quod medicamentum probabili ratione salubre existimetur, sed experientia noxium id esse hæctenus semper attestata sit, adhiberi hoc ipsum, illæ sâ Conscientiâ, à Medico non potest. Contrà, si quod medicamentum prodesse per experientiam constet, licet rationibus convictus sit Medicus quod non profit, sine peccato adhibetur, quia in senatu Asclepi adeò experientia rationibus prævalet.

§. XXXI. Sequitur *Dubia*, quâ Intellectus suum de rebus agendis iudicium suspendit, atque inter utramque partem ambiguus hæret, ignorans utri parti contradictionis assentiri debeat, vel simpliciter rem omnem incertam esse existimans, vel satis quidem diligenter eandem verfans, non tamen causam inveniens cur uni contradictoriarum magis, quam alteri adstipulari debeat. Hanc quisquis in praxi sequitur, vehementer impingit, tum quia peccandi periculo se exponit, tum quia à peccato non abhorret, sed illius vult. Qui enim aliquid agit, quod, num bene an malè fiat, ignorat, æquè in bonum & malum propendet, & num DEUM offendat, an minùs, parum pensi habet. Quare, quisquis in hoc bivio constitutus es tantisper gradum suspende, donec omnem dubitationem exueris. Exuere autem eam poteris vel per indefessam æquæ & liciti indagacionem, vel per Virorum, doctrinâ & experientiâ excellentium, institutionem. Si autem nec tuòpte studiò & ingeniò solvere dubia possis, nec Doctorum sit copia, quos consulere valeas, alterutrum autem omnino fieri debeat, illud ex dubiis age, quod minus incommodi habet: Si nec id succedat, casus erit inevitabilis, inter humanas imbecillitates connumerandus, & tutò ad arbitrium ages, modò bonâ fide agas.

§. XXXII. Claudat agmen & labor finem imponat C. Scrupulosa, quæ, quid licitum sit, vel illicitum, iudicat, sed ita, ut scrupulus subsit. Descendit à nomine Scrupuli. Quod primò parvum scrupum, deinde rem molestam, aut difficilem, ut scrupulus pedes offendens significat. BUDÆUS: *Græci*, inquit, *superstitionem deisidæmoniacam* appellant, & *deisidæmonas* supersticiosos, ab inconsulta & absurda Divinae Potentiæ formidine. Hujusmodi

An. Prin. P.

di meticulos scrupulos nunc appellant, non inepto verbo, & inde superstitiosas. Inest enim semper aliquid, quod male eos habeat &, tanquam lapillus, id est scrupulus in calceo, identidem punctitet. Et Anton. Florentinus Scrupulum vacillationem vocat, consurgentem cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus & incertis. Non ergo quælibet formido propriè dicitur scrupulus, sed illa, quæ oritur ex argumentis levibus, vel planè nullis. Vocatur alioquin hæc Conscientia Arcta & Angusta, quia coarctatur quasi, & comprimitur à formidine & timore, quibus dicitur vexatur. Est enim ea nihil aliud, quam iudicium probabile, habens annexum timorem Sensibilem de Opposito qui retrahit à sequendo Conscientiam illam. Etsi enim Intellectus unam propositæ quæstionis partem propter aliquas causas suadet: tamen, quia etiam pro altera parte quædam, licet leviora, argumenta occurrere videt, nec ex his se se expedire potest, inde scrupulum accipit & formidinem, atque sollicitudine laborat, animum affligente, ut ea, quæ facit non sine peccato fieri posse suspicetur. Convenit proinde eadem quodammodo cum C. Dubia. Nam si scrupulus fuerit dubium proximè practicum, verè dubia erit. Sin verò dubium rei, fieri potest, ut ille cum Scrupulosa C. agat, qui non agit ex dubia. J. C. DURRIUS conflata esse dicit ex dubia & probabili. Ex dubia quidem, si spectes universalem propositionem, de qua nihil determinati in alterutram partem statuit, cum utramque suis rationibus, etsi alteram probabilioribus, niti videat. Et hoc respectu ad dubiam refertur, atque impropiè Conscientia dicitur. Ex Probabili vero; si praxin ipsam spectes, quam probabiliter solum suscipiendam iudicat. Scrupulus ipse, secundum HORNEJUM, vel Rationabilis est,

*Inst. Eth. P.
III. p. 96. S.
LIX.*

*P. S. Mor. p.
332.*

est, vel Irrationabilis. Ille rationem aliquam pro fundamento habet : hic vel ex temperamento naturali oritur; vel ex atra bile, ex ægritudine, quo læditur phantasia; vel ex imbecillitate corporis; aliquando ex consortio scrupulorum, aliquando ex tentatione Dæmonum. Undecunque autem nati scrupuli fuerint, danda est opera, ut prudenti ratione maturè ex animo evellantur, nec frequenti cogitatione pabulum iis præbeatur. Quò enim diutiùs animo infixi hærebunt, eò altiores agent radices. De cætero si Scrupulus rationabilis fuerit, rectè fecerit, qui ejus rationem habuerit, etsi ad id propriè non obligatur: Sin autem irrationabilis, negligendus est, & quantum fieri potest, animo eximendus. Itaque contra hanc Conscientiam alicui agere licebit. Ratio est, quia scrupulus tantum est, ceu loquimur, speculativus, i. e. circa universalem propositionem versatur: at non practicus, sive praxin proximè concernens: hanc enim exercendam esse conscientia probabilis judicat. Atque hæc de nobilissimo, hoc argumento pro ratione temporis instituti & modo dissertationis delibasse sufficiat, qui plura desiderat, adeat Auctores allegatos & reliquos Scriptores qui de Conscientia magno numero sunt commentati.

S. D. G.



AD PRÆCLARISSIMUM
D. GEORG. HEGYFALUSI,

De
CONSCIENTIA

ARGUTE DISPUTANTEM.

PAllere nullo criminis vestigio,
Hic murus est aheneus!

HEGYFALUSI, qui CONSCIUS sibi benè,

Musisq; Sacris CONSCIUS,

Non pallet; eruditionis lumine
Illuminatum se docet.

Huic gratulor: sit *Patriæ decus* suæ,

SUI, SUIS, ECCLESIAË!

Festinanter quidem bonæ scævæ tamen ergò

f.

GEORGIUS FRANCUS,

h. t. RECTOR Univerſit. Aliquot S. R. J. Electorum
ac Principp. Conſiliar. & Archiater.

Optimus in terris *Theſaurus Conſcia mens* est,
Secum quæ ſemper fert *Rationis opus*.

Quæ *pietatis* amans, fervens *probitatis* amore,

Hæc Cœlo, & terris grata *favore* manet.

Felix, qui potis est *naturam* noſcere rectè,

Conſcia quæ ſit mens! Hoc *Tua verba* docent.

Adde *piam praxin*, *Domino*, *mundoq;* placebis:

Et *Deus* è Cœlis *munera clara* dabit.

JOH. DEUTSCHMANN, D.

UT *Tubinga* Tuos ornavit fronde labores:

Sic Tuus à noſtro perſonat ore decor.

CONSCIUS HIS, lætus conſcendis roſtra loquentium:

Sic meritò Te nunc *roſtraq;* *Sacra* vocant.

SAMUEL STRYKE, D.

Conſil. Sax. & Brand. Facult.

Jur. Ord.

Cla.

CLara Tubinga Tuos vidit, Vir Clare, labores,
Præmia curarum sed Witeberga dedit.

Ita ex animo applaudit
PRÆSES.

Insequitur victrix certantum prælia LAURUS,
Sic Tibi certanti LAUREA certa datur.

M. ABRAHAM HENRICUS DEUTSCHMANN,
Facult. Phil. Adjunctus.

Vere novo nova castra metat MARTEM QUE reducit
Miles, cum BELLUM tympana mota sonant:
Sic & Amice, juvat Phœbeja condere bella,
PALLADIS arma paras, mox quoque Victor eris.

Transmisit Tubingâ suo HEGYFALUSIO
M. JOH. ULRICUS FROMMANN, SS. Tb. C.
in Ducali Stipendio.

LEUCORIS Alma Tuas dum perspicit, Optime, dotes,
Artes miratur, laudat & ingenium.
MAGNI LUTHERI nuper decorasse Cathedram,
Nec non difficiles dissoluisse nodos,
Victoremque redisse domum, non ultima laudis
Portio, sed majus, delictumque fuit.
Nunc quid sit VERI, FALSI quid CONSCIA MENS SIT?
Dicis & eximiâ dexteritate doces.
Hinc celeri pergas passu, dum culmina MONTIS
Tum superasse juvet, tum tenuisse beet.

Pauca hæc in bonorem Amici in Parnasso Halano duxit
M. J. C. M.

Vis, brevis ut cantem: curtum hinc ne sperne laborem,
Quo LAURUM quamvis Te meruisse puto.

Ita amicus Tuus
M. JOH. PETR. LUDOVIGUS, P. L. Caf.

ET decet, & jus sit divinæ semina legis
Scrutari in nostro condita corde Deus:

Te

Te juvat hinc casus tot pervolvisse plicatos
Nam sic TE in patria laurea certa manet.

Apponere debuit Amico singulari gratulabundus
M. MARTINUS CHLADNI, Crem. Hung.

R *Edta fiet ratio quid doctâ differis arte,
Ingenium rectâ sic ratione probans.*

Transmisit ex Acad. Jenensi Amico
M. JOH. WEISBECK, Hung. SS. Th. C.

P *ost exantlatos multa cum laude labores,
Leucoreæ quæ pensa dabant præstanda Sorores,
Atque expectatos multorum Conscie votis
Aggrederis magnos dudum meritos & honores;
Mens recti sibi cura prior servâsse tot inter
Errorum scopulos quos exhibet improba Siren.
Felicem cujus frequens virtutibus auris,
At vitiis nunquam! quia Te Tua facta sequuntur,
Conscia Mens nullum servat sub pectore vulnus.*

Apposuit Amico

STEPHANUS ADAMI, Kisselykino-Trans. S. S. S. C.

CLARISSIME VIR,

Fautor & Amice Honoratissime.

A *Rdua sanè magniq; momenti res est, de qua agere animum induxisti;
& quum Conscientiam ad rationis trutinam ritè examinas, Virum Te
non minùs doctum; quàm omnibus ingenii dotibus instructissimum clarè
commonstras. Sine dubio memor es illius, quod sustinendum Tibi impo-
sterum, grave Ecclesiastæ munus; atq; ea propter nobile hoc thema tuen-
dum defendendumq; suscipis: utpotè quod maximè rebus Tuis congruit,
& illum præcipuè, quem ambis, statum concernit. Scil: Conscientias
arbitrio DEI subesse palam est, & hinc nec potestati humana in eas juris
quicquam esse haud obscurum: Tu servus Ministerq; DEI audies, qui
Cœtui divini præfectus, curam CONSCIENTIARUM geres. hasq; te-
neras consolidabis, & lasis sauciisq; medicinam parabis. Placeat igitur
aliis amor Tuus ergà bonas literas incredibilis; illa pertinax augenda e-
ruditionis solertia loquendiq; facilitas ac gratia: mihi certè omnium ma-
ximè arridet, quod in talibus conaris ingenium mentisq; vires probare, quæ
Theologi pariter atq; Philosophi nomen largiuntur, & ob insignem utilita-
tem*

tem Tibi inprimis, immane quantum decoris conciliant. Quo nomine gratulor Tibi; Patriæ itidem gratulor, & omnibus illis, qui utilitates Tuorum studiorum sensuri sunt ac experturi. Quod superest, DEUM veneror, servet Tibi banc mentem perpetuò, conatusq; egregios provehat in majus; ut ibidem, quo pervenire constituis, Resp. literaria Tuis consiliis diu floreat, & omnia, quæ publicè privatimq; Tibi expedienda erunt, non nisi nomen mereantur felicitatis. Vale & ama

Viteb. A. MDCXCII
Die XX. Apr.

Tibi omni cultu & studio additissimum,

GEORG. FÜGH, H. LL. St.

PRomifi versum, sed inanis vena negavit,
Pro versu votum præbeo mente pium.

JAC. EBERHARD. Preining/
S. H. LL. St.

Doctrinam in publicis ostendis, Amice, cathedris
Namq; probas doctum TE, patriæq; places.

Animo, quo debebat,
apposuit

MICHAEL TÖRÖK, N. H. LL. Stud.

PLurima pars, vanis intenta, Scientiam anhelat
Sed pauca Conscientiam. *

Mitigat illa animos, animabus at ista medetur,
Qui quærit ambas, prosper est.

De quibus, HEGYFALUSI, docta cum differis arte,
Animum animamque recreas.

Württembergæ sonat, resonat Witebergæ canendo:
Quod sis Sciens & Consciens.

Quantus Jaurinum Tibi Vir lumenq; redibit!
Lætare pressa Patria!

* Multi quærent Scientiam, pauci Conscientiam, Bernb.
de Int. Dom. c. 21. col. 1069

Deproperabat Lipsiæ Amicus & Sympatriota
CHRISTIANUS SERPILIUS, Nob. Hung.
S. S. Th. & Phil. C.

☉(o)☉

05 A 2734

ULB Halle

3

003 782 654



VD77

sch





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B. V.

TIO MORALIS,

De

CIENTIA,

Quam

eo Altissimi,

ÆSIDE

NE BAPTISTA

CHELIO,

ONIO-HUNG.

LOS. ADJUNCTO,

uditorum examini

sistit

GYFALUSI, Hungarus,

terio Majori,

il. Anno cIo Ioc XCII.



MBERGAE,

HAEI HENCKELII, Acad. Typogr.